

*B. N. II, 178.  
h. 50, 5.*

*(x 1863038)*



*I. N. J.*

DE

EXTINCTIONE  
ORDINIS  
TEMPLARIORUM,

Inclutæ Facultatis Philosophicæ  
consensu

*Primâ vice,*

PRO LOCO

Publicè disputabit,

M. JOHANN. CHRISTOPH.

*Richmanshausen /*

*Ilfenb. Saxo.*

*d. IX. Julii A. M. DC. LXXXVII.*

---

LIPSIÆ,

TYPIS CHRISTOPHORI FLEISCHERI.

*L. Heydenreich  
Pustori Guis. Landgravis*





V I R O  
NOBILISSIMO, AMPLISSIMO QVE

DOMINO

JOHANNI

Wichmanshausen /

SERENISSIMI AC POTENTISSIMI  
ELECTORIS BRANDENBURGICI  
A CONSILIIS IN REGIMINE  
EPISCOPATUS HALBER-  
STADIENSIS,

FRATRI SUO OPTIMO

*In*

*Fraterni amoris ac cultus tesseram,*

Hoc Exercitium Academicum

*Dicat, dedicat, consecrat*

M. JOH. CHRISTOPH. Wichmanshausen.



S. I.  
deno  
scrip  
ment  
erga  
Mon  
carce  
Conc  
Temp  
Syno  
alior  
Pon  
Eta ci  
na H  
Alex  
impr  
27.  
ter Te



sanè  
cos J





B. C. D.

## SUMMARIA DISSERTAT.

§. 1. *Occasio instituti Ordinis Templariorum.* 2. *Autores.* 3. *Ratio denominationis.* 4. *Ortus.* 5. *Vestitus albus cum regula ipsis præscriptus.* 6. *Cruce rubra mantellis albis adjecta.* 7. *Ordinis incrementum.* 8. *Fortitudo.* 9. *Opulentia.* 10. *Christianorum favor erga Templarios.* 11. *Degeneratio.* 12. *Scelera ipsis imputata.* 13. *Montisfalconis atque Noffi Ordinis accusatio.* 14. *Templariorum incarcerationio.* 15. *Confessionum à quibusdam editarum revocatio.* 16. *Concilium Viennæ in Gallia convocatum.* 17. *Judicia circa personas Templariorum in Conciliis Provincialibus instituta.* 18. *Eorundem in Synodis Moguntinâ atque Bononica absolutio.* 19. *Jacobi Burgundi aliorumque in suppliciis perferendis constantia.* 20. *Clementis V. Pontif. Rom. atque Philippi Pulchri Gallie Regis ad tribunal Christi facta citatio.* 21. *Anglicani Templarii in monasteria detrusi.* 22. *Bona Hospitalariis concessa.* 23. *Cause deletionis variæ.* 24. *Natal. Alex. de Ordinis extinctione iudicium.* 25. *Rationes sententiam ejus improbant.* 26. *Exceptiones Natal. Alex. eorundemque discussio.* 27. *Judicium de abolitione Ordinis limitatum.* 28. *Comparatio inter Templarios atque Jesuitas instituta.*

§. I.



Onfluentibus olim ad urbem Hierosolymitanam sanctaque Palæstinæ loca ex universo orbe Christiano hominibus viæ intutæ redditæ sunt, cum undique fures atque latrunculi essent, qui peregrinos atque advenas aggredierentur, eosque vel vitâ vel sanè aliis bonis spoliarent. Vid. in Gestis Dei per Francos Jacobi de Vitriaco Hist. Hieros. p. 1083.

§. 2.



§. 2.

Huic itaque malo ut quoad antenus posset occurri, novem quidam Viri pientissimi pariter ac nobilissimi consilium ceperunt, id strenuè agendi, ut vias atque itinera in gratiam peregrinantium tuta pro viribus præstarent. Vid. Anal. Bruetii ad a. Ch. 1118. Jacob. de Vitriaco in Hist. Hier. p. 1083. Gloss. du Fresne voce Templariorum. Horum omnium nomina licet expressa non inveniantur, præcipuos tamen hujus instituti autores referunt historici, duos nobiles nempe Gallos, Hugonem de Paganis & Gaufredum de S. Audemaro, vel ut alii volunt S. Omero, vel etiam de S. Alexandro. Vid. Godf. Chron. ad a. 1307. Fasciculus Temporum p. 73. edit. Pist. Gloss. du Fresne. Joh. de Busjeres Hist. Franc. lib. IX. p. 228.

§. 3.

Maxima paupertas hos novem fratres primum premebat: neque enim Ecclesiam certam, neque domum propriam, neque etiam media ad vitam sustentandam necessaria habebant. Vid. Monast. Anglic. t. 2. p. 518. Miserti ergo eorundem Rex, Patriarcha atque Canonici, de necessariis rebus prospexerunt, quorum ille in porticu templi habitaculum ipsis concessit, alter certos redditus temporarios partim, partim etiam sempiternos constituit; hi vero plateam templo proximam ad construendas officinas ipsis assignarunt. Matth. Parir. p. 89. Jacob. de Vit. in Hist. Hier. p. 1083. Monast. Angl. l. c. Godf. Chron. ad a. 1307. Et hæc primâ porticus Templi in habitatione nomen fratribus his novem impositum fuisse scribitur, ut *Templarii* sive *Fratres militiæ templi* (Germanicè *Tempel-Herren*) dicerentur. Paulus Langius in Chron. Citizensi p. 784. edit. Pist. Monast. Angl. p. 518. Hypodigma Neustriæ p. 500. edit. Camdeni, Jacob. de Vit. l. c. Ex Chassanæo Camerarius in Horis Subc. p. 340. Quan-



Quamquam non desint, qui hujus denominationis rationem vel à subsequutâ multorum templorum possessione, vel ab assiduâ in templis commoratione, vel etiam à peregrinorum ad templum Hierosolymitanum deductione desumunt. v. Zvvingerus in that. vit. hum. Vol. V. lib. IV. p. 1325.

§. 4.

Circa tempus, quo hujus ordinis origo annotatur, Autores & concordare & discordare deprehendes. Conveniunt omnes in eo, quod seculo post natum mundi Redemptorem duodecimo sumserint initium: disconveniunt vero in eo, quod hic annum hujus sec. 14. vid. Fasc. Temp. p. 75. alii 18. Gloss. du Fresne p. 1083. Godf. in Chron. & Bzovius in Ann. Eccles. ad a. 1118. alii 23. vid. Hypodigma Neustriae edit. Camdeni p. 444. Paulus Lang. in Chron. Citiz. p. 746. elegerint. Hic uti liberum cuique relinquo iudicium, ita illorum assertio mihi maximè arridet, qui ad annum decimum octavum natales Ordinis Templariorum referunt. Præterquam enim quod cæteri tempus vel annum præcisè non determinent, constat sanè Ordinem anno 28. fuisse confirmatum, cum per integros novem annos durâisset, quod ex seq. §. patescet.

§. 5.

Cum enim habitu seculari per novem annos incessissent, & vestibus, quales gratiâ populi obtinuerant, usi fuissent, Concilium II. apud Trevas in Franciâ fuit habitum, in quo Templariorum Ordo non tantum confirmatus, sed & singularis habitus certa que vivendi regula ipsis fuit præscripta. De habitu quidem Papa Honorius II. atque Patriarcha Hieros. præceperant, ut relicto habitu seculari omnes in posterum mantellis albis in innocentia signum induerentur. Vid. Compilationem Chron. p. 736.



edit Pist, Paul. Lang. in Chron. Citiz. p. 784. Fasc. Temp. p. 75. Monast. Angl. 4. 2. p. 518. Gloss. du Fresne p. 1083. In Gestis Dei per Francos Wilhel. Tyrium p. 820. Godf. Chron. ad a. 1307. Jacob. de Vit. p. 1083. Annal. Bruetii ad a. 1118. Zvving. in th. Vit. Hum. t. IV. p. 4131. Osiand. H. E. cent. 14. l. 1. c. 3. Regula jussu superiorum à S. Bernhardo ipsis fuit præscripta, qua instar hominum religiosorum vivere jubebantur. Exhibent hanc D. Severinus Binius in tom. 3. part. 3. Concil. p. 417. ex Bibliothecâ S. Victoris Parisiensis, ad quam tamen Puteanus in Processu contra Templarios respicere videtur, cum inquit: Regulam à Bernhardo compositam ad nos non pervenisse, sed publicatam illam post decursum aliquot annorum, non pro ipsâ Bernhardi regulâ, sed pro ejusdem potius compendio esse habendam p. m. 6. Sed quicquid de hoc sit, certam vivendi normam à Bernhardo ipsis fuisse præscriptam, confirmat Iac. de Vit. l. c. Fasc. Temp. p. 75. Monast. Angl. t. 2. p. 518. Godf. Chron. ad a. Ch. 1307. Bruetius in Ann. mundi ad a. 1118. Cæterum quod tempus celebrati hujus Concilii concernit, omnes fere ad a. 1128. referunt, insimul statuentes, quod novem illi Templarii, ante celebrationem hujus Concilii, per novem etiam annorum spatium in consortium suum neminem assumserint. Vid. præter jam citatos Baron. Ann. ad a. Ch. 1118.

§. 6.

Hanc Papæ Honorii II. de concilianda Templariorum Ordini veneratione curam imitari voluit Eugenius III. qui candidis mantellis, queis Templarii incedebant, crucem de panno rubeo adjecit. Quia enim juxta regulam à Bernhardo constitutam, proprium sanguinem pro Christi gloriâ effundere debebant, admonere eos hoc ipso voluit, ut hostibus atque inimicis crucis Christi fortiter sese oppo-



opponerent. Vid. Joh. Bussjeres hist. Franc. lib. 9. p. 228. Paulus Lang. in Chron. Cititz. p. 784. edit. Pistor. Wilh. Tyrius p. 820. Chassanæi verba à Camer. in hor. Subc. p. 340. adducta. Ann. Bruetii ad a. 1118. Fasc. temp. p. 75. Osiand. H. E. Cent. 14. l. 1. c. 3. Zvvingerus in Theatro Vit. hum. formam vestitus Templariorum planè contrariam adducit, dumasserit, habitum Templariorum fuisse pallium nigrum cum affixâ cruce candidâ. tom. IV. p. 4131. Quæ ratio illum permoverit, ut à communi autorum, quos mihi quidem inspicere licuit, sententiâ recesserit, penetrare non possum.

§. 7.

Id in universum omnes testantur, Templarios & ante & post Ordinis Confirmationem diu tantâ morum probitate, tantoque pietatis fervore excelluisse, ut non tantùm amorem omnium in se converterint; sed magnates etiam, principes atque duces eò adduxerint, ut relictis omnibus, quas fortuna satis splendidas ipsis concesserat, divitiis atque honoribus, his Viris devotis sese adjungerent. Jac. de Vitriac. p. 1084. Godf. in Chron. ad a. 1118. Pietas erga peregrinos fidei consanguineos elucescebat insignis. Illos enim hospitio suo benignissime exceptos, armatâ manu per urbem sanctam sanctaque ejus loca tutò ducebant. Vide Chassanæi verba à Camerario in Hor. Subc. p. 340. adducta. Godf. in Chron. ad a. 1307.

§. 8.

Fortitudinem cum pietate strenuè colebant, quod Jacobus de Vitriaco testatur: *Adeo, ait, formidabiles facti sunt Templarii fidei Christi adversariis, quod unus prosequeretur mille, & duo decem millia, non quot essent; sed magis ubi essent, dum ad arma clamaretur, interrogantes. Leones in bello, agni mansueti in domo, in expeditione milites asperi, in Ecclesia velut eremita & monachi, inimicis Christi duri*



*duri & feroces, Christianis benigni & mites.* p. 1084. Junge  
his ea, quæ Autor hic l.c. de vexillo Templariorum ex par-  
te albo & ex parte nigro refert, *quod nim: eo tum candor  
atque benignitas erga Christianos, tum etiam nigredo & ter-  
ror erga inimicos fuerit indigitata.* Cæterum insignem  
Templariorum fortitudinem non parum forte promovit  
consuetudo in bello recepta, quâ fuerat introductum, ne  
quis ab hoste captus aliter quam cingulo atque cultello  
redimeretur. Hæc enim res utpote in se viles quia hostem  
ad permutationem movere vix potuerunt; ita hæc lex sti-  
mulum omnibus potuit injicere, ut gloriosam mortem in  
prælio præ crudeli in vinculis hostium extinctione elige-  
rent, intrepidique pugnarent. Quidam militiæ Templi  
Magister tantam huic legi exhibuit reverentiam, ut, cum  
Saladinus, à quo belli jure captus detinebatur, eum pro  
nepote suo à Templariis capto, reddere voluerit, iste  
hanc conditionem animosè rejiceret; *Non esse consue-  
tudinis militum templi, inquit, ut aliqua redemptio daretur  
pro eis, præter cingulum & cultellum.* Vid. Compilatio Chro-  
nol. p. 666. edit. Pist. Zvvingerus in theat. vit. hum. vol. 3.  
lib. V. p. 776. Sigeberti Cont. qui ipsum in captivitate fu-  
isse extinctum insimul affirmat.

§. 9.

Crescente indies famâ Templariorum propter res  
tum domi tum etiam foris præclarissimè gestas, crescere  
etiam cœperunt eorum opes atque divitiæ. Cum enim  
sub initium adeò pauperes extitissent, ut vix unum equum  
communem alere potuerint, unde etiam sigillo eorun-  
dem insculpebantur duo equites uni equo insidentes. vide  
Monast. Angl. p. 517. 2. omni rerum copiâ ita affluere cœ-  
perunt, ut principibus viris si non superiores, certè æ-  
quales viderentur. Nulla enim in orbe Christiano inve-  
niri



niri potuit provincia, quæ suam portionem huic Ordini non contulerat. Non enim certas domos tantum hinc inde in Europa dispersas habebant; sed possidebant etiam civitates atque oppida munitissima. Gagvinus lib. 7. in Phil. Pulchro ad a. 1307. Gottf. in Chron. ad a. 1307. Monast. Angl. t. 2. p. 518. ex Chassanæo Camerarius in Horis Subc. p. 340. Osiand. Comp. H. E. Cent. 14. l. 1. c. 3. Wilhelmus Tyrius p. 820. Jac. de Vittr. p. 1084. Antonin. part. 3. Hist. fol. CXI. Occasio splendidissimarum harum divitiarum nulla fuit alia quam humanitas erga peregrinos Hierosolymas invisentes. Hi ex terrâ sanctâ cum voto reduces, beneficium acceptum beneficio compensare volentes, amplissima dona Templariis offerre sueverunt. Vid. Bocatius de Casibus Illust. viror.

§. 10.

Magna jam erat in orbe Christiano Templariorum autoritas, magnæ in unaquaque provincia eorum possessiones atque divitiæ. Et licet ipsi Fratres militiæ templi Palæstinâ diu egressi non essent, impensissimo tamen omnium fidelium affectu atque amore illis frui datum est. Numerum enim Templariorum brevi insigniter fuisse auctum, post Ordinis confirmationem, observat Tyrius in belli Sacri lib. 12. c. 17. Hinc fixas exoptatissimasque sedes ubique fermè locorum invenerunt. In Anglia benignissime eos fuisse habitos, testatur passim Monast. Angl. dum tomo 2. non tantum Cœnobia Templariis concessa; sed & omnes in universum possessiones, quas omninò amplissimas fuisse deprehendes, recenset. Meminit imprimis Henrici Regis Angliæ favoris erga hunc ordinem, qui non tantum splendidissimum illud Novi Templi Londinensis ædificium Templariis donavit; sed & corpus suum in eo sepeliendum concessit. Privilegium de hac sepulturâ à Re-

B

ge



ge datum ita sonabat: *Ad omnium volumus notitiam pervenire, quod cum pio cupiamus desiderio sani atque incolomes, & liberum habentes arbitrium de loco sepulturae nostrae disponere, & ante diem inde nobis prospicere; Nos ob dilectionis prerogativam, quam erga Ordinem & fratres militiae templi gerimus, cum contigerit, nos expleto vitae praesentis curriculo universae carnis viam ingredi, concessisse & dedisse corpus nostrum Deo & Mariae, & domui militiae templi.* Eandem de sepulturae suae loco dispositionem fecit regina Alionora, ut videre est in Monast. Anglic. t. 2. p. 521. Galliam huic ordini nobilissimum & augustissimum hospitium praebuisse, ex immensis, quas ibi possedit, divitiis facile concluditur. De caeteris regionibus, ut jam nihil dicamus, Germaniam hunc ordinem quoque fovisse, vel rudera possessionum passim extantia satis confirmant. Id adhuc de Templariis in universum venit notandum, quod ex speciali Innocentii Papae mandato domus ipsorum insigniter fuerint privilegiatae, quando hic sub poena excommunicationis praecipit, ne quis injiceret manus violentas in confugientes ad domos Templariorum. Papalis Bulla haec de causa conscripta legi potest in Monast. Angl. t. 2. p. 522.

§. II.

Verum licet ordinem Templi virtus valde extulerat, ignavia tamen atque superbia eundem non solum depressit, sed & extirpavit, judicante Hondorfio in Theat. Hist. p. 753. edit. lat. Dum enim pio labori, quem in debellatione Saracenorum atque Turcarum insignem plane praestiterant, Christianorum opes undique affluenter opem ferebant, seorsim militantium mentes deliciae atque libidines intrare coeperunt. Vid. Bocatius de Casibus Illust. Vir. Perfidia erga Ludovicum Franciae regem commissa



missa detestanda est quam maximè. Obsederat hic Damasce-  
num Palæstinæ civitatem, atque ad deditiōem fermè coë-  
gerat ejusdem incolas, tum primam petierunt pugnam  
Templarii, quod rex quidem facilè, sed non sine damno  
irreparabili ipsis indulgit. Statuentes enim tentoria sua  
inter civitatem & exercitum Christianorum, cum paganis  
Damascum inhabitantibus, pactum inierunt, & ab obsidi-  
one liberationem, si tres cados aureis pisantiis plenos  
promitterent, ipsis sponserunt. Conventione utrin-  
que factâ delusos Christianos ab urbe reinfectâ decedere  
oportuit. Templarii promissos equidem cados paulò  
post acceperunt, verum non aureis, sed cupreis nummis re-  
fertis Monast. Angl. t. 2. p. 518.

§. 12.

Alia insuper à majorum suorum virtute, gravitate at-  
que fide prorsus recedentia, Templarios scelera suscepisse,  
historiarum monumenta abundè testantur. Horret ani-  
mus referre omnia, quæ de iis non sine legentium stupo-  
re traduntur. Summam nihilominus criminum ipsis ob-  
jectorum ὡς ἐν Ἰνπρω proponam, quorum veritas si prorsus  
foret indubitata, vix detestabilius hominum genus sol un-  
quam vidisset. Morem ipsis fuisse scribunt nonnulli, quod  
Candidatus Ordinis, priusquam in ordinem recipiebatur,  
non tantum Christum abnegare, & super crucem ostensam  
in vituperium cruci fixi exspuere, sed & recipientis partes  
posteriores, (sit venia dicto,) osculari debuerit. Thom. Wal-  
sing. in Vitâ Eduard. II. p. 99. edit. Camdeni. Joh. Serarius  
in Hist. Reg. Franc. p. 148. Magnum Chron. Belg. p. 269. e-  
dit. Pist. Fascicul. temp. p. 83. edit. Pist. Nauclerus ad a. 1310.  
Robertus Gagvinus lib. 7. in Philip. Pulchro ad a. 1307.  
Bzovius in Contin. Baronii ad a. 1307. Simulacrum ipsis  
fuisse miro artificio conflatum, cui hominis cutem super-  
indu-



induxerint, collatis in fronte binis carbunculis, oculorum vice promicantibus, idemque numinis loco fuisse cultum, refert Zvvingerus in th. Vithum. Vol. V. l. IV. p. 1325. Antonin. ad a. 1119. Osiand. H. E. cent. 14. lib. 1. c. 3. Nauclerus ad a. 1310. Magnum Chron. Belg. sub specie catti ipsos diabolum adorasse affirmat, p. 269. Robert. Gagv. l. c. Thom. Walsing. l. c. Bzovius in Cont. Baronii. ad a. 1308. Vitium Sodomix, mutuique coitus ipsis imputabantur, quasi nim. amatores masculorum essent foedisimi. Rob. Gagvinus l. c. Paralip. Abbat. Ursperg. p. 263. Paulus Æmilius Veron. de rebus Gestis Franc. Reg. p. 256. Zvving. l. c. Bzovius l. c. Cum puellis atque foeminis ipsos itidem fuisse congressos tradunt scriptores, simulque annotant, quod si forte infans ex puella fuerat, prognatus illum à Templariis de manu in manum tam diu fuisse projectum donec, vitam cum morte commutaverit. Mortuum demum infantem, ô scelus ! igne torruisse exque eliquatâ inde pinguedine simulachrum suum decoris gratiâ unxisse. Videatur Gagvinus in Philip. Pul. ad a. 1307. Puteanus p. m. 29. Zvving. p. 1325. t. & p. cit. Cæterum de magiâ ipsis imputatâ Raynald. in Annot. ad a. 1307. n. 12. de defectione ad Turcas atque Saracenos, Chassanæus à Camer. in hor. Subc. p. 340. allegatus, Paulus Æmilius Veron. in Phil. Pulchro p. 256. De superbiâ, quam nimix opes pepererant, de ingratitude Patriarchæ Hierosol. exhibitâ, videantur Antiq. & Annal. Trev. Brevereri & Masenii lib. 17. ad. a. 1313. Monast. Angl. p. 518. t. 2. Itinerarium Cambriæ Giraldi edit. Camdeni p. 832. Illud adhuc adduxisse sufficiat, quod mortuo quodam Templario, ejusdem cineres collecti, & aquâ demum permixti fratribus superstitionibus in potum fuerint dati, ut in impietatis cursu eò magis obfirmarentur. Robertus Gagvinus lib. 7. p. 125. ad a. 1307.

Fidem



## §. 13.

Fidem hanc atque vitam Templariorum improbandam ac detestandam primum de Ordine publicarunt dumviri in custodia Parisiensi detenti. Alter ex his erat Montisfalconis ad Tolosam Prior, qui propter notabiles quosdam excessus ad perpetuos carceres à magistro Ordinis fuerat damnatus, alter fuit Noffus, patriâ Florentinus, qui propter scelus nescio quod, Montisfalconi in carcere fuit adjunctus. Hi duo ut illatam contumeliam partim vindicare, partim etiam pristinam libertatem consequi valerent, capiunt consilium, rem quam Philippo Pulchro Galliarum regi gratissimam fore arbitrabantur, Ordinis nim. corruptelam in fide atque moribus gravissimam detegendi. Vocatis hinc in medium regiis quibusdam ministris, suggererunt ipsis omnia, quæ in vituperium Ordinis Templariorum prius conceperant. Regi præsens hæc accusatio duorum nebulonum fuit gratissima: Quapropter hos quidem è carcere liberavit, quosdam vero Templariorum custodia iterum tradidit. Vid. Joh. Busjeres in Hist. Franc. p. 228. Antoninus part. 3. Hist. fol. CXI. Bruet. Ann. ad a. 1118.

## §. 14.

Ut vero ea, quæ à Montisfalcone atque Noffo fuerant publicata, propriâ Templariorum confessione stabilirentur, in examen adducti plurima scelera seu cruciatuum metu, seu ex rei veritate dicuntur confessi. Hinc ad Pontificem Clementem V. Rex omnia defert, obnixè rogans, ut ordinem Templariorum tot tantisque criminibus obnoxium abolere atque destruere laboret. Anton. part. 3. Hist. fol. CXI. Busjeres in Hist. Franc. p. 229. Pontifex pleniori informatione instructus non tantum in Galliam, sed & in universum Christianum orbem bullas emisit, quibus singulis Ecclesiæ Archiepiscopis atque Episcopis man-



davit, ut omnes omnino Templarios, uno eodemque die, quarto nim. Idus Jan. vel ut alii die 13. Octobr. anni post Christum natum 1307. comprehendi atque carceri mancipare curarent. Monast. Angl. t. 2. p. 564. Gloss. du Fresne p. 1083. Binius part. 2. tom. 3. Conciliorum p. 782. Antonin. part. 3. Hist. fol. CXI. Exemplar bullarum harum Papalium legi potest in Monast. Angl. t. 2. p. 559. 560. 561. cui etiam adjectos reperies omnes eos articulos ( fuerunt autem horum 87. ) super quibus Templarii fuerant quæsit. Et quantum in unaquaque diœcesi unicuique Archiepiscopo quidam erant adjuncti, ut inquisitio eò felicius progrediretur, nihilominus tamen Papa generales quosdam inquisitores constituit, Berengarium nim. titulo S. Nerei & Achillei & Stephanum titulo S. Ciriaci ac Pandulphum S. Angeli Cardinales, qui quæ in unaqueque provinciâ fuerant peracta, ad Pontificem deferre, pœnitentesque ab excommunicationis sententiâ absolvere debebant. Vide bullam jam citatam. Cæterum ingruente d. 4. Jan. a. 1307. Templarii omnibus in locis comprehenduntur, & durissimis carceribus præsertim in Galliâ includuntur. Godf. in Chron. ad a. 1309. Monast. Angl. t. 2. p. 518. item p. 564. Gloss. du Fresne p. 1083. Hypodigma Neustria p. 500. edit. Camdeni. Raynald. Ann. ad a. 1307.

§ 15.

Examina jam omnibus in locis vigeant rigidissima, sub quorum initium Templarii juramento se obstringere tenebantur, fore, ut de quæsitis plenam atque puram veritatem profiterentur. Raynal. Ann. ad a. 1308. Cautum insuper fuit, ut si unus Templariorum fuisset examinatus, ille statim segregaretur, ut ad mutuum colloquium cum fratribus non admitteretur. Monast. Angl. t. 2. p. 563. Hoc modo licet plurimi Templariorum nefanda prorsus de Ordine suo dicerent,



cerent, interim in hac suâ confessione paucissimi constan-  
tes erant. Quando enim ad populum in publicum fuerunt  
producti, eum in finem, ut quæ privatim fuerant confessi,  
publicè coram populo repeterent, plurimi sanè cecinere  
palinodiam, vim metumqve adhibitum accusantes. Hinc  
legimus uno eodemqve die 4. nim. Idus Maji a. 1310. pro-  
pter revocationem, constantemqve puritatis Ordinis asser-  
tionem 54. Templarios Parisiis igni fuisse traditos atqve  
combustos Raynald. Ann. ad a. 1310. Germanos interim cæ-  
terasqve nationes mediis hisce violentis ad confessionem  
à Templariis eliciendam usos fuisse, nullus eqvidem scri-  
ptorum, qvi mihi id manus fuerunt, contendit atqve affir-  
mat. De tormentis vero variisqve cruciatibus à Philippo  
Galliarum Rege adhibitis vide Brovveri & Masen. Ann. Trev.  
lib. 17. ad a. 1313. Godf. Chron. ad a. 1307. Antonin. part. 3.  
Hist. fol. CXI.

§. 16.

Indixerat Papa Clemens V. Concilium quoddam Vi-  
ennæ supra Rhodanum in Galliâ celebrandum; sed quia tot,  
tantæqve difficultates in institutâ inquisitione obriebantur,  
de Cardinalium consilio in sequentem annum illud proro-  
gavit, literasqve Encyclicas ad omnes Archiepiscopos atq;  
Episcopos dedit, quibus in futuro hoc Concilio compare-  
re jubebantur. Data etiam sunt ad Philippum Pulchrum  
Galliarum, Eduardum Angliæ, Robertum Siciliae, Jacobum  
Arragoniæ, Ferdinandum Castellæ, & Legionis, Jacobum  
Balearium, Ludovicum Navarrae, Dionysium Lusitaniæ, Ca-  
rolum Hungariæ, Henricum Romanorum, Aqvinum Nor-  
vegæ, Henricum Cypri, Fridericum Trinacriæ, tum Da-  
niæ & Sueciæ Reges literæ, quibus Pontifex Romanus iti-  
dem rogavit, ut justo tempore ad Concilium Viennæ insti-  
tuendum venire velint. Vid. Rayn. Ann. ad a. 1310. In li-  
mine



mine statim hujus Concilii ( quod, an Oecumenicum vel  
juxta Osiand. in Comp. H. E. cent. 14. l. 3. c. 1. Provinciale  
tantum appellari debeat, alibi disquiritur ) tria delibera-  
tionis capita fuerunt proposita, inter quæ non infimum ob-  
tinuit locum Templariorum causa. Et sane ingens fuit  
in principio statim Episcoporum dissensus, affirmantibus  
quibusdam Templarios ante condemnationem esse audi-  
endos, quibusdam sentientibus, Ordinem absque morâ esse  
delendum, ex eâ ratione, quod maximum Christianitati  
scandalum præbuisset. Itaque Papa ut huic malo remedi-  
um afferret, ad particulare quoddam Consistorium suos  
Cardinales atque Prælatos convocavit, in quo Ordinem  
Templariorum penitus abrogavit. In secunda vero sessio-  
ne hujus Concilii Bulla Condemnatoria, (cujus summam  
exhibet Puteanus p. m. 59.) fuit publicata, in quâ ipse Papa  
fatetur, *quod Ordinem Templariorum non quidem de jure, de  
Plenitudine tamen potestatis Apostolica rejecerit.* Duravit hoc  
Concilium ferme biennium, ab anno nim. undecimo us-  
que ad decimum tertium, de quo & cæteris vid. Rayn. ad a.  
1308. & 1310. Paul. Lang. in Chron. Citiz. ad a. 1311. edit. Pist.  
Tract. de extirpatione hæresis Albing. in tom. V. Hist. Script.  
Franc. edit. du Chesne. Johannes Tilius in Chroni-  
co Regum Franciæ ad a. 1306. ubi expressè itidem asse-  
ritur, *per provisionis potius, quam condemnationis viam ordi-  
nem Templariorum fuisse abrogatum.* Chron. Magnum Belg.  
p. 284. edit. Pist. Paralip. Abb. Ursp. p. 263. Hypodigma Neu-  
striae p. 444. Ann. mundi Bruetii ad a. 1311. p. 205. part. 3. t. 2.  
Osiand. cent. 14. l. 1. c. 3. Zvving. in theat. Vit. hum. vol. V.  
lib. IV. p. 1325. Joh. Busjeres Hist. Franc. lib. IX. p. 228. Hon-  
dorf. in Theat. Hist. p. 753. edit. lat. Plura qui desiderat, ad-  
eat Puteani tractatum de Processu contra Templarios. Cæ-  
terum Nat. Alex. septem tantummodo mensibus non bien-  
nio



10  
nio conventum hunc sacrum expresse statuit durasse. In  
H. E. Diff. X. Sec. XIV. p. 361.

§. 17.

Circa personas Ordinis Templariorum in eodem etiam concilio fuit statutum; ut singuli in Conciliis provincialibus dijudicarentur, ita, ut pœnitentibus, admissa q̄ve crimina fatentibus venia concederetur, impœnitentes vero atq̄ve relapsi digno supplicio afficerentur. Vid. Tract. de Extirp. hæres. Albing. in tom. V. Hist. Franc. Script. edit. Francisci du Chesne ad a. 1311. Et sane, si hæc admittimus, illa sententia locum invenire non potest, q̄vâ omnes omnino Templarios uno tempore interfectos esse, affirmatur, vid. Paul. Lang. in Chron. Cititz. p. 784. edit. Pift. Ad hæc Brovverus & Masen. in Ann. Trev. ad a. 1301. expresse statunt, Templarios uno eodemq̄ve tempore minimè fuisse deletos.

§. 18.

Inter Concilia Provincilia, q̄væ ante Concilium Vienneuse habita fuerunt, notatu dignum occurrit Concilium Moguntia in Germaniâ celebratum, in quo Comes quidam Hugo Sylvestris (*Germanicè Waldgraff*) Ordinis sui integritatem strenuè defendit. Hic enim, quam primum in domo Capitulari Patres convenisse comperuerat, assumtis 20. aliis fratribus tecto sub vestibus ferro, conclave Patrum ingreditur, & intrepidè Archiepisc. sequentem in modum affatur: *Domine Archiepiscopo rumor est vulgò, nec puto vanus, vos hic convenisse adversus nos fratres, qui nomina dedimus militiae templi consilium inituros, quo pacto publicetis excommunicationem in Roma editam & vobis missam. Nos hic venimus, non ut vim injustè faciamus cuiquam, sed ut nos ab injuriâ defendamus. Quamobrem petimus, ut hanc appellationem ( habebat autem literas in manu ) quam nos adver-*  
C *sus*



*sus hunc Clementem interposuimus, ad futurum sub proximo Papâ Concilium, hic jam velitis presenti Clero publicare. Nam nostrâ causa ejusmodi est, ut justum & æquum judicem non formidemus. Archiepiscopus blandissimis eundem excipiens verbis, non tantum ipsi promisit, fore, ut coram Papâ efficacissimè pro ipsis intercederet, sed & hoc suum promissum reipsâ præstitit. Intercessoriis enim literis ad Papam exaratis, Papa benignissimè brevi respondit, inq; absolutionē omnimodam Templariorum Moguntinæ diœcesis consensit. Vide prolixam hujus Hist. descriptionem apud H. Mutium in Chron. Hist. Germ. p. 211. & 212. Nauclerum fol. 244. Brovverum & Masenium in Antiq. & Ann. Trev. lib. 17. ad a. 1313. Camer. in Horis Subc. Cent. 3. p. 340. Nec in hâc Moguntinâ Synodo Templarii tantum sunt absoluti, sed etiam in Italiâ, celebratâ Bononiæ Synodo, cum crimina objecta constanter pernegassent, ab omni noxâ liberi fuerunt pronuntiati. Vid. Raynald. in Ann. Eccl. ad a. 1310.*

§. 19.

Quantò vero mitiora fata in Germaniâ aliisque quibusdam locis Templarii fuerant experti, eò acerbior fors ipsos mansit in Gallia. Omnes enim ibidem fuisse extinctos, plurimam autem partem crematos, testis est Paulus Amilius Veron. de rebus Gestis Franc. in Philip. IV. seu Puichro p. 256. Interim tamen admiranda prorsus in Templariis conspicienda fuit constantia. Illi enim licet spes vitæ, omniaque vitam sustentandi commoda ipsis proponerentur, si modò eorum, quorum postulabantur criminum, confessionem ederent, perseverârunt nihilominus in asserendâ ordinis sui integritate tam firmiter, ut nec amicorum preces gravissimæ, neque etiam prævisorum cruciatuum rigor (*ligatis enim ad palos & nudatis sub pedibus ponebatur ignis, qui postea tibiis, & paulatim membris superio-*



perioribus admovebatur, ut habet Antonin. part. 3. Histor. fol. CXI.) ad confessionem ipsos movere potuerint. In mediis è contra flammis se excusarunt, criminaqve falso ipsis imposita fuisse dicebant. Antonin. l. c. Godf. in Chron. ad a. 1307. Speciatim mentionem faciunt Historici Jacobi Burgundi, Ordinis Templariorum Magistri atqve principis, qui coram Papâ delicta omnia confessus, reductus Parisias omnia negavit. Vehementissimis flammaram cruciatibus hinc adjudicatus, posthabitâ omni propositæ vitæ spe atqve commodo, talia effatur: *Ego nunc supremis rebus meis, cum locum mendacio darinefas sit, ex animo verèqve fateor, me ingens in me meosqve scelus confecisse ultimaqve supplicia cum summo cruciatu promeruisse, qui in gratiam, quorum minime decuit, dulcedineqve vitæ, flagitia omnia sceleraqve ad tormenta ementitus sum in meum ordinem de religione Christianâ optime meritum, nec mihi nunc vitâ opus est precariâ, & novo mendacio retenta.* Vide Paralip. Rerum Memorabil. Abbatis Ursperg. p. 263. Anton. p. 3. Hist. fol. CXI. Godf. Chron. a. 1307. Multos hæc Jacobi oratio atqve constantia adeò permovisse scribitur, ut ossa ejus tanquam martyris cujusdam collegerint, atqve coluerint. Bruetius in Ann. ad a. 1118. De devotâ corporum & ossium etiam aliorum susceptione vid. Anton. l. c. & Naocl. fol. CCXLIV.

§. 20.

Præfagium Molæ equitum Magistri & Guidonis fratris Delphini Viennensis sic copede prorsus non prætereundum est, quo tum Pontificem tum & Regem ad tribunal Christi provocasse scribuntur. Deducti enim ad ignem, ut vivi sicut alii cremarentur, in Vasconibus in Burdigalâ urbe conspectis in fenestris Clemente V. Pont. & Philippo Pulchro Galliarum Rege, Mola natione Italus & patriâ Neapolitanus in hæc potissimum verba erupit: *Sævissime*



Clemens tyranne, posteaquam mihi inter mortales nullus jam  
supereſt, ad quem appellem pro gravi morte, qua me per injuri-  
am afficis, ad justum Christum, qui nos redemit, appello, ante cu-  
jus tribunal Te voco, unà cum Philippo Rege tanti mali suatore,  
ut ante eum intra annum diemque appareas, ubi causam meam  
exponam, ut jus sine pravo affectu ministrabitur. Ex Colloq.  
Fulgosii lib. 1. refert Camer. in Horis Subc. cent. 3. p. 132.  
Busjeres in Hist. Franc. lib. IX. p. 230. Ubi tamen observes  
judicium de hoc vaticinio diversum. Hic ejus eventum  
negat atque pernegat, ille è contra subsequutam esse justo  
tempore Regis atque Pontificis mortem affirmat. *Mirum*  
*profecto* inquit, neque enim tempus, quod dictum ab equi-  
te fuerat abiit, quod Clemens repente morte est correptus,  
nec multò post Philippus quoque interiit. Refert quoque  
hanc historiam Natal. Alex. in H. E. Sec. XIV. Diss. X. p. 400.  
Multa minimum adversa Regi atque Pontifici accidisse  
propter Templariorum captivitatem atque extinctionem  
scribit Antonin. part. 3. Hist. fol. CXI. Naocl. fol. CCXLIV.

§. 21.

Quamquam verò miserè ita trucidati sunt in Gallia  
Templarii, nihilominus tamen ut in Germanià atque Ita-  
lià, ita etiam in Anglià non exiguus Templariorum nu-  
merus remansit. Cum enim in Provinciali Concilio  
Londini instituto omnes fuissent facti, sed de criminibus si-  
bi imputatis sufficienter purgare non posse; in perpetuæ  
pœnitentiæ sensum in monasteria fuerunt detrusi, ita ta-  
men, ut plures duobus, vel saltim uno ( ut Autor tractatus  
de Extirp. Hæres. Albing. ad a. 1311. habet ) in monasteri-  
um quoddam non admitterentur. In quibus cum neces-  
saria vitam sustentandi media ipsis supersint, per omnia  
optimè sese gesserunt, ut scribit Thom. Walsing. in Eduard.  
II. p. 99. Cæterum si hic Monast. Anglic. consulimus, patet  
fanè



sanè ex bullâ quâdam papali ibi expressâ Templarios in Angliâ relictos, non statim post absolutionem probatas alias religiones fuisse ingressos, sed libertati suæ primùm relictos. Invehit enim in eâ Pontifex Rom. in mores superstitum ex ordine militiae templi personarum, quod vestitu clericali abjecto, se pro laicis gessissent, nulloque habitu respectu voti, quod fecerant, matrimonia contraxissent. Quapropter præcipit omnibus Archiepiscopis, Episcopis atque Prælati, ut quisque in diœcesi suâ Templarios convocaret, iisdemque imperaret, ut intra tres menses monasterium quoddam certum, religionemque approbatam, in quâ semel præstita vota possent servari, ingrederentur, uxoresque planè dimitterent. Monast. Angl. t. 2. p. 944.

§. 22.

Bona Templariorum quod attinet, illa in Concilio Viennensi Hospitalariis sive Rhodiis Equitibus (ita enim Hospitalarii à captâ insulâ Rhodo nominabantur vid. Fasc. temporum p. 83. edit. Pist.) cum certis tamen conditionibus legitimum usum respicientibus, fuerunt adjudicata. Vide Joh. Serr. Hist. Reg. Franc. p. 148. Annal. & Antiq. Trev. lib. 17. ad a. 1313. Tract. de Extirpatione hæresis Albing. in tom. V. Hist. Franc. Script. edit. du Chesne ad a. 1311. Monast. Angl. t. 2. p. 564. Joh. de Busjeres Hist. Franc. lib. IX. p. 229. Ex Chassanæo Camer. p. 340 Nauclet. Chron. fol. 244. Antonin. ad a. 1119. Excipias verò hic necessum est, ea Templariorum bona, quæ in Hispaniâ, Castiliâ, Portugalliâ, ac insulis Balearibus fuerunt reperta, regibus istarum regionum, ut hostibus, quos vicinos maxime habebant, eò fortius posset resistere, speciali mandato Papæ concessa. Vid. Tract. de Extirp. hæres. Albing. ad a. 1311. Raynaldi Ann. Eccl. ad a. 1312. & Gottf. in Chron. ad a. 1307.



Sic bona, sic etiam dignitas omnis Templariis fuit ablata, postquam illorum ordo per centum & octoginta, quatuor annos duraverat. Vide præter alios Fasc. Temp. p. 83. edit. Pist. Quam laudabilis itaque primitiva facies hujus ordinis fuit, tam miserabilis sanè ac tragicus fuit ejusdem exitus. De causis ordinem hunc subruentibus, res apud scriptores non est confecta. Sunt qui avaritiam Gallia regis excisionis Templariorum fontem fuisse pronunciant, ut Thom. Walsing. in Eduard. II. p. 99. Antonin. part. 3. Hist. fol. CXI. Camerar. in Hor. Subc. cent. 1. p. 388. Binius in Conciliis Oec. & Prov. part. 2. t. 3. p. 784. Bocat. de Casibus illust. Vir. qui hanc suam sententiam exindè confirmat, quod Rex Franciæ Philippus Pulcher etiam Judæos propter hanc causam terris suis ejecerit. Osiander interim avaritiam regis causam excisionis Ordinis Templ. fuisse negat, quod etiam extra Franciam in variis Christiani orbis locis fuerint extincti. Cent. 14. l. 1. c. 3. H. E. Busjeres in Hist. suâ Franc. lib. IX. p. 229. 230. & Puteanus in opusculo suo de Processu contra Templ. maximè id agere videntur, ut ab hoc Crimine Philippum Pulchrum absolvant. Cæterum illa ratio prorsus videtur esse infirma, quâ ex bonorum Hospitalariis factâ donatione innocentiam regis stabilire conantur, siquidem nonnulli distinguunt inter bona Templariorum mobilia & immobilia; dicentes, quod quidem immobilia bona Hospitalariis fuerint concessa, mobilia vero in fisco regio retenta, imò, quod & immobilia à rege occupata magnâ pecuniæ summâ redimi debuerint. Vid. Joh. Tilius de rebus Gestis Franc. ad a. 1308. Paul. Emil. Veron. in Philippo Pulchro p. 257. Naocl. Chron. fol. 244. Binius in t. 3. part. 2. Conciliorum p. 784. Non desunt etiam, qui opulentiam, delicia-

cia  
fui  
130  
  
rin  
pto  
Na  
din  
pro  
tun  
pla  
à C  
enn  
pio  
vell  
de  
væ  
tur.  
crim  
lum  
re ex  
lam  
profo  
ligio  
bon  
exer  
man  
ad sa  
utili  
illu  
nem



ciarum vitiorumque omnium matrem deletionis causam  
fuisse expresse asserunt. Vid. Bruetii Ann. part. 3. t. 2. ad a.  
1307. Chron. Carions p. 564. lib. 8.

§. 24.

Quærenti nunc, an justè an injustè Templarii fue-  
rint extincti? ex præsuppositâ relatione diversorum scri-  
ptorum, diversimodè etiam responderi poterit. Equidem  
Natal. Alex. Diss. X. part. 3. Hist. Eccl. absolutè affirmat, Or-  
dinem hunc justis de causis utiqve fuisse extinctum. Ad  
probationem hujus suæ thesios anteqvam descendit, sta-  
tum controversiæ format dicens, illud in præsentiarum,  
planè non quæri; num ordo hic religiosus justis de causis  
à Clemente V. Pontifice Rom. & Synodo Oecomenicâ Vi-  
ennæ celebratâ aboleri poterit; hoc enim sibi pro princi-  
pio prorsus indubitato haberi; sed de illo disceptare se  
velle; num Pontifex Rom. atqve Concilium justis etiam  
de causis illum extinxerint. Hujus quæstionis affirmati-  
væ accedit, eandemque hoc Syllogismo probare cona-  
tur. *Quicumque Ordo ob morum corruptelam & execranda  
crimina tum capitum cum membrorum Ecclesiæ non so-  
lum inutilis, sed etiam perniciosus fuit, ille ab eâdem ju-  
re extinctus est. At Ordo Templariorum ob morum corrupte-  
lam & execranda crimina &c. E. etiam justè fuit extinctus atqve  
proscriptus.* Majorem probat exinde, quod Ordines re-  
ligiosi ab Ecclesiâ idcirco instituantur & approbentur, ut  
bonum Christi odorem longè lateqve diffunderent, ut  
exemplum fidelium essent, ut Christianæ sanctitatis for-  
mam atqve imaginem suâ conversatione exhiberent, ut  
ad sanctum aliquem finem sibi propositum contendentes,  
utilia membra essent in corpore Christi mystico tanquam  
illustrior quædam portio gregis Christi. Hunc itaqve fi-  
nem cum ordo quidam religiosus non obtineat, sed potius  
omni



mni vitiorum genere intervertat, concludere videtur, eum eodem jure, quo fuerat institutus, aboleri etiam posse. Minoris probationem satis prolixam exhibet, cujus tamen summa huc redit, quod Philippus Pulcher Rex Galliarum, nullam aliam ob causam, quam ob foetorem, atque clamorem criminum immanium, quibus Templariorum ordo fuisset commaculatus, judicium eorundem urserit, & quod vera fuissent omnia, quae fama de iisdem evulgaverat, utpote per inquisitiones multiplices in Templarios postmodum adornatos, satis firmata.

§. 25.

Verum non desunt etiam rationes contrariam sententiam speciosè admodum suadentes. Objici enim poterit (a) accusationem Ordinis à duobus viris perditissimis ejusdem militiae fuisse factam, quorum relationi fidem habere non oportebat. (b) Confessionem tot ac tam horrendorum criminum vel metu vel promissis, vel tormentis fuisse à Templariis extortam, & summum ordinis Magistrum Jacobum Mola, plurimosque alios, qui Parisiis flammis fuerant addicti, editam antea confessionem revocasse, ac se ipsos Ordinemque puros atque infontes pronunciasse. (c) Templarios in Conciliis quibusdam provincialibus innocios fuisse declaratos. (d) Incredibile esse, quod nullus in universo Templariorum ordine Vir frugi extiterit, qui tam foeda tamque immania flagitia execratus, aut de illis non fuisset conquestus, si vera fuissent. Et tandem (e) gravissimorum scriptorum testimonia, qui calumniam passos fuisse Templarios asserunt, Ordinem injustè fuisse abolitum, eoque sine à Philippo Pulchro infamatum, ut immensas ejus opes diriperet.

§. 26.

Objectiones has optimè prævidens *Natal. Alex.* ordine



ne easdem non tantum recenset, sed pluribus quoque diluit atque refutat. Quam tamen refutationem ita comparatam esse, deprehendes, ut adhuc suas patiatur exceptiones. Nam quod primam ipsius responsionem attinet, quam putat Templariorum flagitia non tantum a Priore Montisfalcone & Noffo fuisse delata, sed aperuisse eadem adhuc alios & inter hos cubicularium ipsius Pontificis, illam dictorum virorum non minoris forte malitiae praesumptio, poterit enervare. Cubicularium quippe, cujus ex Mariana Hist. Hisp. expressè meminit Pontifici grata, licet non aequè vera confiteri potuisse, quis dubitabit? Alteram objectionem, nimirum vim per tormenta adhibitam, receptam in judiciis consuetudine tueri conatur. *Solemne enim est, inquit, iudicibus minis, suppliciis, ac promissis mitioris poenae, criminum confessionem a nocentibus elicere.* Stringeret haec ratio, si tum iudicis iustitiam strenuè sectantis, tum modum tormentorum legitimum attenderet: Interim μέγα λίαν αίτημα est, annon iudicia in regno Franciae formata, non tam veritatem quam beneplacitum atque voluntatem regis in extorquendis Confessionibus pro norma habuerint. Acta ex Chartulario regio deprompta veritatem Confessionis Templariorum tum demum probabunt, si iudices absque omni praesudicio rem aestimantes, inquisitioni huic praefuisse, probatum fuerit. Multi sane fuerunt, qui institutorum iudiciorum impietatem morte acerbissimam testari voluerunt. Et quanquam non negandum rei innocentiam per promptissimam mortis susceptionem concludi semper non posse; cum sceleratissimi quandoque intrepidè mortem aspexerint; non possumus tamen non notare applicationem a Nat. Alex. factam turpissimam: dum inter martyres diaboli etiam Joh. Hus & Hieronymum Pragensem recenset, siquidem haec exempla potius innocentiam Tem-

D

pla-



plariorum, si quid valere debent, tueri poterunt. Ad ab-  
solutionem multorum Templ. in synodis quibusdam pro-  
vincialibus respondet, *Ex illâ tantum probari singulos  
per universum orbem dispersos Templarios, tam immani-  
um criminum reos non fuisse; interim perperam inde  
colligi illos, qui è Galliâ, Hispaniâ, Italiâ, Angliâ ab in-  
quisitionibus in questionem vocati sunt, & scelera confessi  
reos non fuisse.* Hæc collectio, utut benè se habeat;  
præfixum tamen scopum ferire haud videtur. Natal. A-  
lex. asserit atque affirmat, Ordinem Templariorum justis  
de causis fuisse ablatum. Hoc itaque si evincere vult,  
non integras provincias Templariis refertas eximere de-  
bebat, siquidem & his per dignitatis ablationem si inno-  
centes fuissent, maxima facta esset injuria. Cur enim in  
his, sublatis morbidis pecudibus, Ordo potiori jure con-  
servari non potuit? Cæterum notandum etiam in Angliâ atq;  
Italiâ non omnes scelera fuisse confessos, siquidem de Tem-  
plariis Anglicanis Thomas Walsing. observat, *illos non fa-  
ctum ipsum, sed famam tantum fuisse fassos*, in Eduard. II. p.  
99. De Templariis verò Italiæ in Bononiæ Synodo abso-  
lutis vide Rayn. in Ann. Eccl. ad a. 1310. Ea, quæ ad quar-  
tam objectionem regerit, ita se habent, *quod pusillo gregi  
innocentum ignota forsitan fuissent aliorum scelera, vel  
proprio parcentes dedecori, ordinem proderere noluerint,  
nec ejurare opulentissimam societatem egeni in seculo fu-  
turi.* Verum enim verò posito hoc, quod vera fuerint  
crimina, quæ Templariis imputabantur; nullum plane ea-  
dem latere potuerunt, siquidem unusquisque Ordinem  
primùm ingrediens, nefaria statim scelera perpetrare  
debebat. Deinde iste vir frugi non est dicendus, qui terrena  
coelestibus, caduca æternis, atque corporalia spiritualibus  
anteponit. Autoritatibus, quæ postremò opponebantur,  
stimulo-



autoritates opponit, putatque suam etiam sententiam testimoniis omni exceptione majoribus confirmari. At quis non videt rem adhuc in dubio relinqui, non enim aliqui tantum autores, qui paria statuerunt, in medium erant afferendi; sed & omnes alii removendi, qui sententiam prorsus contrariam fovebant. Ad certam enim rei cujusdam assertionem non tantum requiritur qualisc. thesios probatio, sed & sufficiens contradicentium refutatio.

§. 27.

Eqvidem non eum in finem rationes Nat. Alex. paululum excussi, ut sententiæ illi, quæ condemnationem Templariorum injustam pronunciat, prorsus accederem, (fecit hoc ipsum Bodinus, cum inquit: *Majorum nostrorum ætate Templarii de antiquâ prædiorum quæ nimis ampla videbantur possessione, per summam injuriam ac imperii hujus dedecus depulsi fuerunt, lib. V. de Rep. c. 2. p. 381.*) sed ut difficultatem tantum absolutæ cujusdam decisionis ostenderem. Camerarius sanè Scriptor gravissimus, postquam varia Autorum testimonia in causâ templariorum adduxit, suam sententiam prorsus suspendit, & ita demum concludit: *Ex diversis judiciis Autorum sumat quisque sibi, quod veritati historicæ consonum sit, & æstimet utrum universus Ordo Templariorum non solum tam atrocem mortem & supplicium sed etiam confiscationem & ablationem omnium bonorum commeritus, sed potius veniâ & commiseratione dignus fuerit.* Ut ut itaque omnimoda veritatis investigatio hac in parte vix est speranda, possumus tamen hac conditione ea lege indubitato pronunciare, justissimè Ordinem fuisse deletum atque extinctum; nempe si vera fuerunt, quæ Templariis imponebantur crimina, tantum abest, ut dignis suppliciis fuerint affecti, ut graviora multoque atrociora ipsos tanquam omnium hominum nequissimos sustinere oportuisset. Sum-



mis enim potestatibus idcirco gladius est commissus, ut dignus sortibus poenas infligant, nec scelera dimittant impune.

§. 28.

Cæterum nisi scopum mihi in hac disputatione præfixum excedere viderer, facillimo sanè negotio inter modernos Jesuitas atque descriptos antea Templarios parallelismus posset institui atque ostendi, quam exactissima inter eos, quoad primordia atque progressus, reperiatur convenientia. Legi hic utique merentur Monita Privata Societatis Jesu edita studio Pacifici à Lapide, qui præmissâ compendiosâ Historiæ Templariorum enarratione, omnia ad Jesuitas scitè accommodat, p. 40. sqq. Quid doceant Jesuitæ, ex Ludovici Montaltii literis Provincialibus disces, quid vivant ex Jarrigio, Jesuitam in ferali pegmate sistente. Ille scientiam eorum denudavit; hic conscientiam; Ille Synteresin scrutatus est; hic praxin; Ille ex floribus notabiles fecit, hic ex fructibus doctrinæ. Vid. Præfat. in Jarrig. An verò paria etiam Jesuitas fata cum Templariis mansura sint, tempus manifestabit. Certe Nemesis divina tandem, quos præteriis se videtur, inveniet.



· Visum



Visum est MStum Bibliothecæ Paulinæ benignâ  
manu Viri Plur. Reverendi atqve Excell.

**DN. L. JOACHIMI FELLERI,**

Professoris celeberrimi,

mihi subministratum, Dissertationi huic annectere,  
quod de Conradi Marchionis Misnensis bene-  
ficentia erga Templarios testatur.

*In nomine Patris & Filii & Spiritus S.*

*Amen.*

**N**otum sit omnibus fidelibus tam presentibus  
quam futuris, quod ego Conradus Dei gratia  
Marchio Misnensis de hac presenti die XIV. Kal. Ju-  
nii Anno Dominicæ Incarnat. Mill. Cent. XLV. pro  
remedio animæ meæ & uxoris meæ Lucardæ, & filio-  
rum meorum Othonis, Theodorici, Henrici, Tetonis,  
Friderici, omniumque parentum meorum Petro do-  
minici sepulchri venerabili Priori, cæterisque fratri-  
bus & Canonicis tam presentibus, quam futuris eidem  
Ecclesiæ devote servientibus modo ad præsens de pro-  
pria manu firtonem auri, & voveo me unoquoque  
anno à proxima festivitate S. Michaëlis Archangeli  
in die ejusdem festi censum, duos videlicet marcas  
argenti absque omni fraude prædictis Canonicis, Ec-  
clesiæ sepulchri dominici Hierusalem redditurum,  
hâc videlicet conditione, quatenus memoriale meum,

D 3

&



Et predicta uxoris mea, Et filiorum filiarumque  
meorum, nec non omnium parentum meorum, in ea-  
dem Ecclesia perpetuum maneat, Et ut participes si-  
mus omnium beneficiorum, quae in predicta Ecclesia  
a supradictis Canonicis devotè peracta fuerunt, be-  
leemosynarum sc. Et orationum, vigiliarum, jejunio-  
rum, cunctorumq; ceterorum bonorum. Constituo et-  
iam, ut quicumq; filiorum meorum vel nepotum, vel  
quorumcunq; successorum meorum, eam, quam nunc  
posideo, Marchiam possederit, post obitum meum præ-  
dictum censum eidem Ecclesiae sepulchri dominici Hie-  
rusalem, Et Canonicis ibidem Deo servientibus fide-  
liter reddat. Si quis autem ex hæredibus meis vel  
successoribus eam Marchiam, quam ego nunc possi-  
deo, possederit, prædictum censum Ecclesiae domini-  
ci sepulchri Hierusalem, Et Canonicis ibidem Deo ser-  
vientibus subtraxerit, omnipotentis Dei iram, Et  
meam maledictionem incurrat. Ut autem hæc no-  
stra concessio Et donatio presentibus Et futuris tem-  
poribus sui vigoris obtineat firmitatem, presentem  
paginam sigilli nostri cerei munimine communimus.  
Donationi huic tanquam testes subscripsêrunt, sigillis  
etiam additis, Hudo Episcopus Nuenburgensis, Otto  
Comes de Rinkka, Conradus Præpositus Nuenbur-  
gensis, Henricus de Brandeburch, Hugo de Sochero,  
Rodebeco de Misena, Guarnerius de Brena, Theodo-  
ricus Abbas S. Samuhelis.

COROL.



# COROLLARIA.

I.

Metaphysices studium futuro accur-  
ratori Theologo omnino est ne-  
cessarium.

II.

Angelorum tam bonorum quam  
malorum essentia est eadem.

III.

Homo constat ex duabus partibus  
essentialibus, animâ nim. atque  
corpore.

IV.

Accidens commune adesse vel abes-  
se potest à subjecto sine ejus inte-  
ritu.

V.

Astrognosia est studium jucundissi-  
mum.

VI.



act. 15/16

VI.

Omnis ablatio rei alienæ invito domino est furtum.

VII.

Voluntas appetit tantum bonum.

VIII.

Constitutis rebus. parentibus in liberos remansit quidem imperium, interim tamen non absolutum.

*SOLI DEO GLORIA.*



1077

110







NOBIL  
JO  
SEREN  
ELECT  
A CO  
EP  
FR  
Frat  
Ho



IMO QVE  
INI  
sen/  
NTISSIMI  
NBURGICI  
GIMINE  
LBER.  
TIMO  
fferam,  
icum  
licat, consecrat  
Bichmanshausen.

S.I.  
deno  
scrip  
ment  
erga  
Mon  
carce  
Conc  
Temp  
Syno  
alior  
Pont  
Et a ci  
na H  
Alex.  
impr  
27.  
ter Te